



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

2 Declaratio primi puncti Examinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

sponsum suum his verbis. *Ecce tu noster sponsus Cant. x.*
du. Dico itaq; vnumquemq; nostrum, vbi
 examina conscientiae fecerit secundū mo-
 dum iam subiiciendum, contētum esse de-
 bere confessionibus sacramentalibus iuxta
 ea institutis: nam cum omnem diligentiam
 moralem adhibuerit, fas non est, vt agitari
 se sinat importunis suspicionibus, num re-
 ctè confessus sit, an memoria aliqua exci-
 derint, num expresserit omnes circumstan-
 tias, & similia.

Ex quoniam commodissima examinan-
 da conscientiae ratio est, quam B. P. Igna-
 tius praescribit in Exercit. spirit. libro quinq;
 nimirum punctis comprehensa, totum tra-
 ctatum in his exponendis consumam.

PUNCTVM I.

*Gratias agere Domino Deo, pro beneficiis
 tam generatim, quam speciatim
 maxime eo ipso die acceptis.*

C A P. II.

HOc primum punctum, sicut & secun-
 dum sunt quasi praeludia vel introdu-
 ctiones ad Examen, & convenientissime
 praemittuntur vt in demonstrabo. Nam
 si s quod

quod ad primum attinet: gratias esse Deo agendas pro beneficiis, non modo ratio dicitur, & inducit virtus ipsa, quæ dicitur Gratia, vel gratitudo; sed etiam suadet ingens eius utilitas, quia dum gratias Deo agimus nouis mox ab eo ornatur beneficiis. Vnde Dauid sic loquebatur *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et respondet. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Si ergo ingrati simus, non est quod alia beneficia speremus. Nam vt recte affirmat S. Bernardus, ingratitude exsiccat misericordie diuinæ fontem. Cum enim in vita spirituali prorsus pendeamus ex donorum celestium influxu, & plus quam in corporali ex aeris respiratione, nullo modo committendum est, vt gratias agere negligamus diuinæ maiestati, quippe à qua omnia bona dimanant. *Omne datum optimum inquit B. Iacobus, & omne donum perfectum de sursum est descendens à patre luminum.*

Iac. I.

VT vero, tu qui initium facere cepisti spiritualis vitæ, recte gratias agas, describam tibi nonnulla beneficia, pro vnoquoque ordine ex tribus ante nominatis. Primus ordo erat generalium beneficiorum in quo

quo

quo primum locum obtinet Creatio. Secundum redemptio, mediante sua passione & morte. tertiū iustificatio per sanctissima sacramēta, qui par est primo Sicut .n. virtute nostra non potuimus nos ex nihilo illo extrahere (vt sic loquar) sic nec possumus ex profundissima peccati abyſſo: ex qua tamen ille ſufficienter nos ſemel extraxit per paſſionē, & ſæpius efficaciter per participationem ſacramentorum. Imo docent ſancti iuſtificationis beneficium quodammodo maius eſſe illo Creationis eo quod in hoc nullo modo repugnare potuerimus, in illo autem ſæpe repugnemus. Vnde S. Stephanus Iudeis dicebat: *Vos ſemper Spiritui ſancto* *Act. 7.*
reſiſtiſtis. Et Chriſtus Dominus de iisdem *Mat. 23.*
Quoties volui cōgregare filios veſtros, ſicut gallina cōgregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſtis?
 Quartum locum habet *Conſermatio*, tam in eſſe naturali per Creationem, quā ſpirituāli per regenerationem accepto.

SECUNDVS ordo eſt particularium beneficiorum, in quo primum poſſunt reddi gratiæ pro ſtatu in quo quiſque à Deo eſt collocatus, vt religioſus pro ſtatu religionis. Videmus enim huiuſmodi ſtatum à Deo paucis tantum cōcedi. *Non omnes,* inquit Chriſtus apud B. Matthæum, *capiunt* *Mat. 13.*
ſeruum

Verbum hoc sed quibus datum est à Patre meo.
 Similiter Ecclesiasticus pro statu cœlibatus. Et secularis, pro statu matrimonii, qui certè beneficium est, maxime si conferatur cum aliis statibus vitæ miserabilis: licet sit duobus prioribus inferior. Secundo possunt agi gratiæ pro integritate corporis, quandoquidem tot inveniuntur mutilati. Et si vnum aliquod tibi membrum desit, age gratias, quod non absint plura. Deinde pro sanitate mentis, cum tam multi sint vel stulti, vel furiosi, vel prorsus stupidi. Tertio, pro honore, cum multi viuant in perpetuo dedecore & infamia. Deniq; pro facultatibus quas possides quæ si exiguæ sint, cogita aliis esse tenuiores. Si vero totus sis mendicus, cogita tibi multos esse socios, & Christum te fuisse pauperiorem.

Tertius ordo erat beneficiorum, quæ quotidie recipimus. In quo gratiæ agi possunt, pro inspirationibus motibusq; diuinis in meditatione aliove exercitio deuotionis perceptis. Pro expugnata, vel exclusa aliqua graui tentatione, de lucro spirituali concionando, exhortando, vel colloquendo, apud proximos facto. Vnum autem hic mihi monendum occurrit memoria dignissimum, de illusionē & fraude, qua dæmon
 se in

se in angelum lucis transfigurans quosdam circumuenire solet, vt videlicet dum examen facturi sunt, nimis diu hæreant in hoc præludio, hoc est in expendenda beneficiorum magnitudine, copia & varietate, ac tandem tempus non suppetat pro examine faciendo, in quo tamen consistit tota huius exercitii substãtia, aut si suppetit, illud tam breue sit, vt cursim & perfunctoriè tantum perficiatur. Vnde deinde fit, quia defectus non satis accuratè sunt notati, & animaduersi, vt nulla seria emendatio sequatur sed in dies in eisdem relabantur. Quare satis foret, dicere. Domine ago tibi gratias pro omnibus beneficiis generalibus, quibus me affecisti, maxime si ita loquaris ex intimo corde & non tantum ore, nec texas longum eorum Catalogum more Iudæorum, quos apud Isaiam Dominus arguit, dicens. *Populus hic labiis me honorat, cor autem* Isa. 19. *eorum longè est à me.* Possent tamen quilibet agere gratias pro beneficiis aliquibus eius diei, si deuotio ad hoc stimularer.

Longas enim considerationes
de his instruere poteris in
Meditatione, vti alii
faciunt.

PVN.